



CAPITIS SECUNDI.

Argumentum, partitio, analysis.

Nexus secundi capituli cum primo videtur obscurior, si plerosque interpretes consulas: sed est apertus, si introspicias textum. Fateor me aliquoties interpretando hanc epistolam secutum esse communem sententiam, Apostolum haec tenus constrinxisse reatu vulgò sceleratos: nunc etiam convincere πολυτιμους, ut erant Socrates, Plato, Aristoteles, Cato, aliique, virtuosos heroes atque censores inter gentes, qui nec patrabant, nec probabant, sed damnabant patrans scelerum praedicta: sic inquam convincere de reatu, quod licet foris talia non patrent, intus tamen fomitem occultum gerant, proinde alios damnando se ipsos damnent. Sed & fateor textu diligentius considerato, nihil me in verbis apostoli invenire, unde quod de hypocritis & de fomite affertur, elici possit. Quin bis ter ve accusat istos tanquam palam facientes ea, quae damnant in aliis. Salvo igitur aliorum iudicio dicam quod sentio. Haec tenus Apostolus antecedens argumenti, quod omnes homines operibus suis damnationem, non justificationem mereantur una ratione demonstravit à justissima Dei ira super omnes revelata è caelo. Pergit idem demonstrare ratione alia ab universali auctoritate. Et quia pravitas hominum ingeniosa est ad tergiversandum, redarguit quosdam praetextus primum generatim omnium: deinde speciatim gentium: tandem etiam Iudeorum. Haec summa capituli: cuius constituo quatuor sectiones:

PRIMA SECTIO versu 1. 2. per illationem ex versu precedente repetit antecedens haec tenus demonstratum, & addit argumentum aliud à proprio omnium iudicio, cuius summa est: *Qui seipsum damnat, excusatione caret, quin reus sit in Dei iudicio. Omnes homines seipsos damnant: Omnes igitur circa excusationem rei sunt in Dei iudicio.*

Conclusio prius ponitur: διὸ αὐτὰ τοῦτο μὴ. Minor posterius: ἐν ᾧ ἵδνεῖται: cum probatione. *Qui damnat alium*

A propter ea, quae ipse facit, se ipsum damnat. Omnes damnant alios propter ea, quae ipsi faciunt. Hoc sumit ex versu precedente. Omnes igitur sunt ἀνομιᾶς ἀγνοῦντες.

Majoris probatio est versu 3. quae a iudicio Dei est secundum veritatem: Non igitur aberrat Deus, iudicans unumquemque secundum suum ipsius iudicium, cum nemo praesumatur sibi injuriam facere velle.

SECUNDA SECTIO à versu tertio ad versum undecimum, est refutatio communis praetextus: *Deus est misericors, bonus, patiens, &c. quod patet*